

Disputatio medico-botanica de mandragora / [Andreas Holtzbom].

Contributors

Holtzbom, Andreas, -1711.
Rudbeck, O.
Uppsala universitet

Publication/Creation

Upsala : [publisher not identified], 1702.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k4kcykqq>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.





Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>




29,235 / A









8830
mes. 34367 14.
D. D.

DISPUTATIO MEDICO-BOTANICA

DE

MANDRA-
GORA.

QUAM

Cum consensu
Ampliss: Facult: Medic:
in incluta ad Salam Academia,

Sub

PRÆSIDIO

NOBILISSIMI EXPERIENTISSIMIQUE

Doct: OLAI RUD-
BECKII.

Med: Prof: Reg: & Ord.

In Audit: Gust: Maj: d. 17. Maji, Ao. 1702:

Publico examini submittit

Sæ. Ræ. Mtis.

ALUMNUS

ANDREAS HOLTZBOM

UPSALÆ

XIII.

SÆ. RÆ. MTIS.
MAXIMÆ FIDEI VIRO,
PRIMO SENATORI
AC
REGIÆ CANCELLARIÆ
PRÆSIDI SUMMO;
UT ET
INCLUTÆ ACADEMIÆ
UPSALIENSIS
CANCELLARIO,
ILLUSTRISSIMO EXCEL-
LENTISSIMOQVE COMITI
AC DOMINO
BENEDICTO
OXENSTERNÆ/
MÆCENATI MAGNO.

Celfissime Comes,



UT TUÆ CEL-
SITUDINI, CO-
MES ILLUSTRISSE,

otii mei reddatur ratio, suo jure

postulat

postulat singularis ille favor, quem
me amplecti semper voluisti. Po-
stulant, inquam, plurima Tua im-
me collata beneficia, ut aliquod
saltem pietatis grateque memoriam
exhibeam pignus. Sed audaciae
culpam deprecor, quod Splendi-
dissima Palatii TUI limina
ingredi, TIBIQUE, ILLU-
STRISIME COMES, tot
curis & negotiis quotidie occupa-
to, tenuem hunc rudioris Miner-
væ fœtum porrigere haud veritus
sum. Accipe itaque CELSIS-
SIME COMES, serena fronte

hoc quidquid est speciminis. Fac,
precor, aliquem in hortis **TUIS**
aut viridariis locum inveniat ea
herba; cui quum Martis & ar-
tis sit, quumque virtutis Me-
dicæ radios in Magnatum cor-
pora multos spargat, **TUUM**,
ut spero, non es denegaturus pa-
trocinium; ipse Floræ amor &
delicium, ipse virentis senectæ
vigor, & suavissimum decus.
Meum semper erit, coram im-
mortali DEO, calidas fundere
preces, pro salute & incolumitate
CELSITUDINIS TUÆ,

ut quos **TU** hic habiturus es, dies,
O, utinam longos! omnes ex
TUO TUORUMque, hoc
est, omnium voto oriantur &
occidant. Ita ex animo precor
& precabor

CELSITUDINIS TUÆ

humillimus cultor

Andreas Holtzborn







I. N. J.

Thes: 1.



Um animus nobis sit, Divina adfulgente gratiâ, pro quantulocunque ingenii nostri modulo, **MANDRAGORÆ**, antiquis pariter ac recentioribus notissimæ herbæ, naturam indolemque describere; non arbitramur a proposito alienum fore, si fundamenti loco brevem nominis explicationem substernimus. Quod ut ritè fiat, necesse est inquiremus in vocis hujus natales, quos Græco sermoni putant deberi Scriptores, haud secus ac si Mandragora esset *ἡ μάνδρα τοῦ γέρας*, hoc est, mandararum & speluncarum gloria sive decus, cum ejusmodi locorum sit amantissima hæc nostra. Verum non sat causæ videmus, cur a Græcis fontibus nomen hoc
A deductum

deductum eant, cum & aliae sint herbae
 quam plurimae, quae cavernis & umbrosiss
 isdem delectantur locis; ut Asarum, Bal-
 samin. Oxytriphylon, Ranunc: nemor:
 hepatic. nobil. &c. Salvo itaq; aliorum
 iudicio, haud ineptum censemus, si voca-
 buli hujus derivationem a Gothico *man*
 & *draga*/ quod est virum portare, unde
mandragare/ viriger, malumus, utpote
 simplicissimam & herbae hujus genio quam
 maximè convenientem; cum radix hujus
 imaginem referat hominis crura & femo-
 ra leviter distendentis; unde & Pytha-
 goreis Anthropomorphon audit, & Co-
 lumellæ Semihomo, dum ita canit:

Quamvis Semihominis vesano gramine foeta

Mandragoræ pariat flores mæstamq; cicutam.

Nec mirum; quia inveniuntur & Orchi-
 dum quædam species, fucorum, aranea-
 rum, muscarum, papilionum, avium &
 cercopithecorum formas adeo repræsen-
 tantes, ut nulla ferè corporis eorum pars
 sit, quam in ejusmodi plantis non ritè ef-
 fingat benigna mater, natura. Ergo, no-
 mine rem ipsam explicante, huic adque-
 scimus originationi, donec potior accedat.

Thes: 11.

Ut ordinis ratio habeatur, etiam synonyma Mandragoræ usitatoria obiter recensere lubet. Circaea igitur nominatur & Circaon a Circe, quæ, uti erat veneficiis addicta, ita hac inter reliquas herbas usa fertur. Item Dircaea, Antimalum & Thridacias. Aliis Xeranthæ, Bombochylon, Antimion vel Antimnion, Minon, Hemionous aut Gonogeonas, Cammoron, malum caninum & terrestre vocatur. Hebræis מנדגור, Dudaim, cujus meminit & Scriptura Sacra, & Rabbi Moses Nehemannes, qui Leam non Dudaim, h. e. Mandragoris, quas Ruben filius ei attulit, sed precibus coram DEO sterilitatem elusisse rectè credit. Averrhoi Lephaa, Jabroh, Serapioni Jabora, Chaldæis Jabruchin, Germanis Alraun/ quasi Alruna/ h. e. omnia sciens, (putant enim magi & veneficiorum sectatores se omnium ferè, etiam eorum, quæ diversis in regionibus contingunt, ope Mandragoræ, conscios esse) voce etiam hac apud Gothos natâ, cujus affinitatem agnoscunt rōna/ quod est sentire vim & eventum rerum gestarum gerendarum

rendarumve, (unde & scipionibus Runicum nomen, quos usurpabant non ita pridem nostrates, ut scirent euntis anni redeuntissimæque vicissitudines, & œconomix agriculturæque rationem) & *runa*/ quod mysterium arcanumque consilium est. vid. Glossar: Ulphila-Gothic: Nobiliss: Stiernhielm Hinc etiam apud Jornandem de rebus Geticis c. 24 appellantur mulieres magicam artem sectantes *Al-runna*. Et *Runstabia* Alemannis occulti characteres sunt, ut pariter nos docet Franciscus Junius in Gothico Glossar. Belgis, officinis & Italiis *Mandragora*, Gallis *Mandragore*, ou *main de gloir*, Anglis *Mandrake*, Hispanis *Mandracula*, Hungaris *Natragulya*. &c.

Thes: III.

Cognita jam quodammodo *Mandragoræ* nostræ appellatione, ad rem ipsam accedamus, tanquam corticibus fractis nucleum tacturi. Hic in primo quasi limine se nobis conspiciendam offert quadruplex hujus herbæ species, quæ etiam hac potissimum serie a nobis enumeranda veniet:
 I. *Mandragora* fr. rot. major. C. B. P.
Mandragora mas, Trag. Fuchf. Math. Dodon: Gall.

don: Gall. Lac. Cord: in Diosc. Ad. Lob.
 Lugd. Cam. masculus Turn. Mandragora
 Ang. Mandragoras, Gef: hor. Cæs. Man-
 dragora mas vulgatio, Park. Mandrago-
 ras albus f. masculus, Cord: hist. Mandra-
 gora mas vel alba, Cam. ii. Mandrago-
 ra mas altera, Park. iii. Mandragora fl.
 subcoeruleo purpurascens, C. B. P. Man-
 dragora fem. Clus: Hisp. & hist. Cast. F. yst.
 Mandragora Lon, altera Cæs. Mandrago-
 ra fr, rot: minore, Moris. iv. Mādragora
 fr. pyri, C. B. P. Mandragoras fem. Trag.
 Math. Cord: in Diosc. Lac. Ad. Lob. Dod:
 Lugd. Cæs. Cam. Mandragoras niger f.
 fem. Cord: hist. Cam. De his plura in se-
 quentibus, ubi suam cuique historiam da-
 bimus, sed brevem.

Thes: IV.

Natale solum, quod placet Mandrago-
 ris, diversum est. Aliud enim mas agno-
 scit, utpote Candiam & Cyclades; crescit
 tamen & aliis in regionibus sylvestribus
 Italiae, Hispaniae, Galliae & Angliae, verum
 proventu non aequè facili: &, quod mi-
 reris, in patria hac nostra, licet frigidioris
 coeli valde impatiens sit, sed non nisi se-
 mine

mine nata, & in hortis diligenter educata. Aliud foemina, Hispaniæ montes puta fre-
to Gaditano adjectos. Hanc autem, licet ipsi plurimum abblandita sit Flora Batava, neutiquam exorare valuit, ut floribus suis corollas ejus exornaret; nuper tamen diligencia quorundam factum est, ut non solum hæc, sed etiam reliquæ ejus species; solerti cultorum curæ cesserint; quod etiam Abrahamus Munting in libro suo, qui Aardgewassen inscribitur, innuere videtur, dum ita loquitur: *Zy kunnen de koude vry wel verdragen, als men ze in November dik genoeg overdekt met stro, Turfmul. &c.* Antequam hinc digredimur, dissensum quendam inter Clusium & Mathiolum notabimus; quorum ille Mandragoram feminam ad paludes Beticæ regionis; hic verò in Gargano Apuliæ monte provenire asserit. Forfan rectius; ad radices Gargani montis, ubi sæpè madet humus; nisi intellexerit paludes, quas habent non raro summa montium fastigia, & frequentes conspicere licet in Norvegiæ Laponiæque Alpibus, ubi tam spatiosæ sunt, ut naviculis sæpè heic vehantur incolæ pisces capturi.

Thes: V.

Sed postulat dignitas maris, ut ejus descriptio feminæ præmittatur: Radix est igitur crassa, longa, in binos quasi clunes aut femora desinens fibrisque capillata. Color ei externus ex pallido ferrugineus, internus verò totus albicat. Ex hac, mense Januario, apud viciniore Solis accolæ, numerosa prodeunt folia, Betæ aut Peti quodammodo similia, sed integrum ferè cubitum longa, & pedem lata, rugosa nonnihil & tamen lævia; sævæ insuper virore tincta aliquid ingrati naribus spirant. E medio horum, humi procumbentium, sinu creberrimi surgunt petioli duarum unciarum, etjam palmam interdum longitudine æquantes, quorum fastigio calyces insident virides, pentagoni, ex IV conflati foliolis, vix hirsutis, & pariter aliquid tætri redolentes. Calyces autem singulos singuli ornant flores unciales, ex candido in viridem ferè vergētes, etjam modicè hirsuti, Cucurbitarum aut Cucumerum floribus, si formam spectamus, non adeo ab-similes, ex quinis constantes petalis s. poti⁹ laciniis, longioribus & mucronatis, quibus
 Aprili

Aprili mense superbiunt. Succedit tandem fructus, qui Julio maturus & planè rotundus, Mespilum minorem magnitudinè haud superat, succi plenus, ex luteo splendide virescens, & odore haud ingrato seè commendans. Huic semina insunt Phæseoli effigiem reddentia, colore cæsia aut pallidè lutea. Est & alius mas, cujus folia ex cinereo virentia esse testatur Parkinson; sed de floribus nihil. Viguit in horto D. Woton, Cantauriæ.

Thes: VI.

Mandragoræ feminae folia sunt minoræ, rugosiora, atra magis, & pariter odoris parum grati. Jacent & hæc humi, sed petiolos emittunt longiores, una cum calycibus, eodem ferè modo formati accunt maris, quorum e rictu se conspiciendos dant flores ex cæruleo purpurei, a Melopeponum floribus haud multum formâ abludentes. Hos proximè sequuntur Baccæ rotundæ, quæ teneræ virescunt, maturiores verò factæ ex luteo pallefcunt, & Halicacabi fructum mole sua ter excedunt, odoris succique non minus jucundum quam maris. Intra pulpam semina deli-
tescunt.

tescunt, plana, minora, & aliquanto nigriora. Nititur & hæc radice satis longa, sed minore, aliquando bifida aut trifida, fibrisque donata, coloris verò intus albi, extus fusci aut atrii. Hæc est, quam supra Gades, & aliis in locis humidis Beticæ regionis, Februario florentem, & paulò post maturescientem animadvertit Clusius Atrebas.

Thes: VII.

Hanc delineationem quam optime convenire cum Dioscoridis verbis, satis testatur libri 4. caput 76. ubi & illud notandum, quod jure nobis suspectum videtur, quicquid de tertia Mandragora scriptum reliquit; propter rationes, quas adducit haud spernendas doctiss. J. Bodæus a Stapel. Quarum prima hæc est: quod in vetustis codicibus descriptio hujus Mandragoræ non appareat. Altera: quod ejus non meminerint Oribasius & Plinius. Tertia: quod alterum genus *μαῖερον* vocari tradat, quo nomine venit ipsi tertia quam delineat. Adferit & ipse Dioscorides se non vidisse tertiam; quod vel hincprehendere licet: *ισογῶσι δὲ τοῖς ἐπὶ ἐγὼν*, tradunt

& aliam esse Mandragoram. Præterea etiam non nisi unicum Solani furentis genus sistit nobis Dioscorides. At, quæ sequuntur, verba ejus satis superque innuunt, aut erroris aliquid in lectionem irrepsisse, aut Dioscoridem more Pliniano diversarum plantarum historias confudisse. Quam malè autem & imprudenter Plinius commiscuerit utriusque, Dioscoridis scilicet & Theophrasti, Mandragoram, cuilibet patere arbitramur, legenti caput 13. libri 255 nisi fortè & hujus loci scripturam temporis, omnia exedentis, injuria corruptam dixeris. Datur & femina alius generis, cui radix æquè magna, sed atra magis extra corticem, folia itidem nigriora, angustiora, & minora. Poma quoque minoris molis, pariter odorata, pallidiora tamen Sorbi imaginem referunt. Cum hac etiam congruere videtur, quod Dioscorides de Thridacia; nam & nigra est, & poma habet Sorbis similia, pallidèque lutea. Quæ ratione autem dicat semina pyrorum esse similia, non intelligimus, nisi nobis aliter vertere liceat hæc ejus verba: ἐν οἷς ἡ κατὰ τοὺς ὠκυπέδους αἰνίου. h. e. in illis & fructus tamquam pyrorum.

Thes: VIII.

Non pigebit etjam hac occasione breviter indicasse verba Theophrasti, quæ habentur in historia ejus plantarum, libro sexto: *ρίζαν δὲ ἔχει βαθεῖαν, ἐστὶ δὲ μονόριζον· ὁ μὲν δὲν νάρτης τοιῆτος. τῶν δὲ ἄλλων τοῖ μὲν ὁμοιόπερον ἴστω τὸν καυλὸν ἔχει· καθάπερ ὁ μανδραγόρης καὶ τὸ κώνιον.* &c. h. e. *radice alte descendit, eademque singulari innititur. Talis ferula est. Ex reliquis autem quedam huic proximiora caule constant: ceu Mandragora, cicuta, &c. Ex his satis constat Theophrastum hic longè aliam intellexisse plantam, quod etjam apertè fatetur Julius Cæsar Scaliger, in doctissimis suis ad eum locum animadversionibus ita differens: Nullum Mandragoræ caulem vidi Ferulae similem, sed cauliculos breves, tenues, molles. Quem referrem ad Cyclaminum, ad Asarum, ad Chelidonium minus: cum Asphodelo nullo modo compararem: multo minus cum Ferula auderem. Ferula enim, præterquam quod ad latera ramulos spargit, tantæ etjam firmitatis & molis est, ut non solum senum & ebriorum regat gressus, Baccho propterea & Sileno dicata; sed & sceptrum audiat pædagogorum Martialis Poëtarum lepidissimo:*

Ferulasque tristes sceptrâ pedagorum
 Præter hæc etiam dicit Theophrastus
 Mandragoram gerere fructum acino uvæ
 similem, uti ostendunt, quæ sequuntur
 Ἰδιὸς δὲ καλεῖται ἡ mandragorâ, τῷ μέλει δὲ, καὶ
 ῥαγώδης, καὶ οἰνώδης εἶναι τῷ χυμῷ. h. e. *fructum*
Mandragoræ peculiaris, qui niger & acini-
no uvæ similis, & vinoso succo. Cum tamē
 noster Mandragoras poma ferat croo-
 cea vel lutea, quæ acinos uvarum magni-
 tudine superant. De fuga radicis in terram
 præ metu frigoris intensioris, quod
 graviter asseverant nonnulli, non multum
 differimus, cum nobis hoc ipsum in-
 credibile videatur, & contra naturam fri-
 goris, quod potius bulbos, aliasque radi-
 ces e terra excludit, ut transeuntium oculis
 pateant,

Thes. IX.

Vires, quibus Mandragoras omnes pol-
 lere tradunt Botanographi, præcipuas obi-
 ter in conspectum dabimus. Sunt itaque
 Mandragoræ omnes, secundum Galenum
 ex tertio, uti loquitur, ordine refrigeran-
 tium. Nos autem arbitramur illas non
 esse frigidas, cum & siccæ sint, & saporis
 quodam-

quodammodo amari; nec tamen propterea ventriculo gratae aut amicae, cum nimis sint violentae, si quis circa usum earum committeretur error, & amarities non quaelibet, censente ita eodem Galeno, l. 6. Simpl: 22. Sed, quae ad absinthii & aloes saporem quam proximè accedat, ventri commoda sit. Cautè ergo in usum veniant, ita nos docente Dioscoride, qui folia, radices, cortices, & quidquid est Mandragorae in medicamentorum numerum recipere haut est veritus. Præter hæc etiam stuporem vel narcosin membris inferunt vehementem, adeo ut cogantur nonnulli, tanquam furentibus frenum injecturi, tradere eas Vulcano coquendas vexandasque una cum vino, quod ratione aceti & spirituum, quibus gaudet suavissimis, non æquè valet ac ignis, qui acidum illud volatile, præcipuam narcoticorum vim, dissipat, donec ferè mitescant, & una pars vini per vapores evanuerit; quod superest asservatur, & dum res ita postulat, exhibetur contra dolores & vigilias; maximè autem antequam amputandum est membrum aliquod, aut ad-
urendum

urendum, ut stupeſcat æger, ſenſuque careat, tanquam ſomno captus. Quod de tertia quoque Mandragora aſſerere videtur Dioſcorides, dum ait: *eſſe, qui affirmant illam drachmæ unius pondere devorata rationis uſum intercipere, adeo ut in ſomnum prolabatur homo, eodem ferè, quo comederit, ſtatu, per 3 aut 4, poſtquam data eſt, horas, ſenſus im- poſ.* Verum hæc medendi ratio apud hodiernos medicos in deſuetudinem ferè abiit, ad priſtinum fortè decus & ſplendorem aliquando reditura; adeo ut idem de hoc ipſo ſtatuerè liceat, quod Horatius olim de vocabulis:

*Multa renaſcentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore.*

Theſ: X.

Ex hac virtute illarum carotica, quæ radicibus maxima ineſſe creditur, Mandragoram bibiſſe ſcitè dicuntur, & uſu Mandragoræ dormiviſſe, non ſub Mandragora, (quod Eraſmo placet in adagiis, & alii cuidam displicet; nobis autem, ut diſſidentes conciliemus, ſuſpicio eſt, Eraſmum hîc Theophrasti Mandragoram intellexiſſe, & ſic dictam ejus ſibi conſtare) qui negligenter

gligenter sua curant ; uti nos passim docent Scriptores , in quibus nominasse sufficit Lucianum , qui inter magnificas Demosthenis laudes , ait Athenienses , haud secus ac si multum gustassent Mandragoræ , ab eo quam sæpissimè excitatos fuisse. Unde & digna est habita hæc nostra , quæ Marti aliquando in subsidium venerit ; quia ex historiis notum est , Hannibalem hujus ope & auxilio rem optimè , contra rebelles Afros , gessisse. vid. Frontin. & Polyæn. Verum hîc quærat aliquis : an Mandragora juxta vitem crescens possit , ut vult Plutarchus , communicare cum illa aliquid hypnotici , adeo ut hujus vini amantes in somnum magis propendeant ? Ad hanc quæstionem respondere videtur Cl. Thom: Barthol: Dissert: i. de Med: Dan. d. p. 26. dum huic opinioni favens ita loquitur : *Crambe , in hortis rapo juncta , præstantius fit remedium.* Nos autem , pace tanti viri , suspicamur talem vim ne vix quidem transfundi vel derivari in alius naturæ plantam , cum non semel experti simus , herbas diverfi generis , cum peto aut asaro nascentes crescentesque , nihil ab eis emetici accepisse.

Thes: XI.

Radices ebur emolliunt coctæ cum illo
& ad quamlibet formam induendam aptum reddunt, beneficio forsan subtilissimarum particularum, quæ, una cum aqua ferventi, facile se poris ejus ingerere possunt, & massam hanc laxiorem rarioremque reddere. Nam quemadmodum non omnia facile solvuntur ab omnibus, ita nec omnia emolliuntur; adeo ut & hic solvens sui generis deprehendere liceat. Cortices autem radicum, adhuc recentium, prelo subjecti, succum præbent, veteratri instar, adeo emeticum, ut in præsens vitæ periculum conjiciatur æger, si audacter nimis, & contra experientiæ leges hauserit illum. Est & fructui succus, sed corticum aliqua ex parte benignior, cum, citra noxam insignem, gustu olfactuque somnum inferat, & feminis utilis censeatur. Hinc fatetur etiam magnus ille nostri ævi Botanicus J. Bauhinus, Rachelem ante tempora Dioscoridis, Serapionis & Avicennæ, consciam fuisse virtutis, quâ pollent Mandragoræ poma. Verum quis hoc affirmare sustinebit, cum verosimili-

sit

fit eam, si hujus medelæ gnara fuisset, per tot annos usum non neglexisse, donec illa sibi, à filio sororis, præter spem, appor-
taretur.

Thes: XII.

Sic etiam notatu digna sunt verba Demetrii, asserere haud dubitatis, accipitrem, ad aucupia segniorem, promptiorem reddi, si fumo exponatur radicem Mandragoræ; forsan eadem ratione, qua Turcæ, opio sumto, animum ad pugnam strenuè capeffendam inflammant, alacrioremque præstant. Item miles, fumo Nicotianæ animosior factus, & spiritu Cereris Bacchi-
que afflatus, quælibet discrimina vitæ adit audacter. Si hæc fortè displiceret ratio, alia veniet ostendenda qualiscunque: scilicet accipitri vigorem quendam inspi-
rari peculiarem ope hujus pharmaci, aliis verò cujuscumq; generis animalibus non item; cum non omnia eodem modo affi-
ciantur, propter diversos in corpore humores, qui etiam in hominibus adeo sæpè differunt, ut non cedant medicamentis u-
sitatioribus; uti non semel nos docuit vir incomparabilis & immortalis famæ Olaus

Rudbeckius pater, de melancholico quodam, cujus humores cum neutiquam auscultarent purgantibus ex Antimonio & Mercurio paratis, contrarium addidit illud patriæ decus, opium puta, quod sistere alioquin fluxum quemcumque solet, & secuta est, non sine admiratione, iusta catharsis. Sic in alio vomitum simul procuravit opium, teste Borrichio, quem vide de somno & somniferis, p. 27. Contusæ v. radices, cum melle & oleo, contra morbus venenatorum animalium valent. Durant: hist. pl. fol. 274. Articulorum dolores mitescere cogunt, & strumas aliasque tubercula disparere. Hinc commendantur etiam ab Asclepiade contra podagram, imprimis succus illarum, ut testis est Galenus l. 10. c. 3. de compos: med: loc. cujus hæc sūt verba: *℞. Aloës libram unam, succi centaur: sesquiunc: thuris non secti trient: Myrrha trient. flor: lapidis Asii sextant: Opii sextant. succi Mandrag: sextant. aluminis scissi sextant. Applicetur hoc lacte dissolutum.* Folia recens avulsa inflammationibus succurrunt, suppurationes, uti medicis appellantur, dissipant, &, ut unguentum

guentum populneum fiat, adfunt. Sed mirum alicui videri posset, quod olim densiora, quam hodie, morborum agmina herbarum ope profligata legantur, & propterea antiquis frequentiori in usu fuisse herbas, quam nobis, qui, iis sæpè neglectis, ad metalla & mineralia descendere cogimur, & ab iis auxilium petere. Sciendum itaque morborum monstra longe horribiliora hodie esse, postquam, propter hominum intemperantiam & luxum, ferreo hoc seculo, per parentes in liberos propagata sunt, jure veluti hereditario; ideoque duro nodo durum esse quærendum cuneum.

Thes: XIV.

Plurima sunt, quorum laudamus usum, detestamur abusum: qui semper noxam & vim infert naturæ humanæ. Ut enim vel generosissima vina, sic medicamenta importune, aut supra modum adhibita, veneni nomen sæpè merentur; quamvis non apertè & subitò, uti illud, sed ex insidiis, & tarde hominem opprimant. Sic licet magni fiat ab omnibus, & inter me-

dicamenta condimentaque locum suum
 tueri audeat crocus, usu tamen ejus im-
 modico Pisauri periit agaso, super duabus
 croco refertis farcinulis dormiens, uti au-
 ctor est Amatus Lusitanus. Horum e nu-
 mero sunt etiam Mandragoræ, præsertim
 poma, quæ citra periculum comedi poss-
 sunt, nisi modum quis excefferit. Nam
 teste Rajo Anglo, *sapè experimentum fecit*
Joh. Terrentius Lynceus Romanus, atque
idem confirmatum habuit ab amico suo, &
Symmysta Doctiss: Joh: Fabro, in Romano
Athenæo Professore, qui, coram auditoribus
 suis, magnum pomum, una cum seminibus
absumpsit, sine ullo vel somni vel alterius
mali signo, & quo certius esset experimen-
tum, jejunus ad prandium usque per ali-
quot horas permansit, & à vino, ne viis
pharmaci debilitaretur, abstinuit. Cautè
& modicè iis vescatur, qui cupit. Nam et
suus cuique modus est; tamen magis offen-
dit nimium quam parum, ut inquit Cicero
de Orat. Præsertim cum adhuc non satis
perspectæ sint & cognitæ hujus vires, nec
omnibus idem contingat ventriculi robur;
quod suo satis exemplo docent, qui cen-
 tum

tum grana opii crudi sine detrimento somnoque quotidie devorant, uti fatetur Clarissimus Joh: Muis in suis ad Chir: Barbett: notis, & nos non semel periculum fecimus assumendo dimidiam libram seminis papaveris, cujus vel uncia unica alii cuidam nauseam moveret.

Thes: XV.

Verum, si quo casu eveniret, ut quis per imprudentiam nimium gustasset Mandragoræ, statim apparebunt symptomata, quæ tum maximè urgent, & à medicis longo ordine vulgo recensentur: torpor, scilicet, & sopor, & molestus oculorum faciei que tumor hominem invadunt, qui excitatus vociferatur, & tamen mox in somnum relabitur; languescit tristis & seignis, interdum mente captus; respirat difficulter cum ardore & æstu totius corporis, & tandem, nisi subito his malis succurritur, convulsiones mortem, hoc in casu alioquin tardiores futuras, accelerant. Hinc patet hanc herbam nervis quoque malignam infestamque esse, si temerario quodam ausu violabitur ejus dignitas. Sed
quibus

quibus malis ut obviam eatur, per vomitum & alvum statim rejicienda est Mandragora. Hoc facto, ad antidota deveniendum, cujus generis vulgo censentur origanum, pulegium, scord: &c. item raphanus domesticus, qui Mandragoræ Bezoar audit. Nos enumeratis præmittere mallemus Alkalina fixa; salia: absinth: tartar: centaur: minoris, card: bened: & diuretica alkalina; sal genist: junip: fab: onom: &c. cum hæc ejus sint naturæ, ut salia nimis volatilia, quibus abundant narcotica, in poros suos per ignem ita paratos admittant frangantque, quo minus noceant. Si hæc ad manus non essent, in subsidium veniant terrestria, quæ sale destituta cum salibus tumultuantur. Nec omittenda diluentia blandiora, & emulsiones, quæ dulcedine sua & oleo acrimoniam ligent domentque. Tandem curam claudant aromata, quæ quidem statim à vomitu advocanda essent, nisi adhuc restarent aliquot afflicti sanguinis vestigia. Tum enim aromata non mitigant, sed intendunt malum, spiritusque magis dissipant; quod etiam sudorifera calidiora, importune adhibita.

bita efficiunt, cardialgiam & æstum intro-
ducendo. Item vina aromatibus condita
citius quam pura pedes reddunt langui-
dos, & bibentes præcipitant. Hinc planè
damnamus eorum consuetudinem, qui
zingibere & caryophyllis mitigari credunt
Mandragoræ poma, ut largior eorum u-
sus ventriculo concedatur. De antidoto
autem, quod haberi asserunt nonnulli ex
radicibus Mandragoræ & solano furente,
judicent eruditi; cum nos non videamus
qua ratione venenum aliquod possit de-
struere seipsum, viresque sævas accidere,
alii æque nocivo junctum; pharmaca enim
ex Mercurio & Arsenico junctis conflata,
non facilè, quantum nobis quidem con-
stat, domabunt vitia sublimati. Plus for-
san præstitisse videtur Andreas Baccius,
dum Mandragoræ aliorumq; venenorum
vires solo lavacro aquæ dulcis disjiceret;
quod sine dubio efficere potuit duplici ra-
tione; vel eliciendo sudores in aqua tepi-
diore; vel irritando diuresin in frigidiore,
ut ardor nimius huic malo familiaris ces-
saret, sed antegresso vomitu.

Thes: XVI.

Impostores, quibus nihil frequentius quam aliorum insidiando crumenis suis quærere commoda, loco Mandragoræ Bryoniæ radices venales circumferunt quæ itidem parum benignæ humores ad eo turbant, ut summo cum vitæ discrimine conflictentur, qui temerè eis utuntur. Audacia sanè digna, quæ, in amplissimo theatro, putridis peteretur ovis, & mox ad metalla relegaretur. His fortè auctoribus etiam falsa sibi persuadet credulum vulgus, dum fabulatur, uti mos est Satanae ministris, Mandragoram in locis supplicii hominum facinorosorum destinatis enasci & eam ob causam non nisi maximo cum periculo effodi. Ut suæ itaque salutis parcant fossiores, canem qui evellat radicibus adnectūt; ipsi procul adstant auribus clausis, ne pereant audito radicum evellendarum stridore. Cane autem potissimum utebantur, quia profanæ religionis cultoribus sacer erat, Ægyptiis præsertim, qui non solum animalia, sed etiam sensus expertia numinis loco suspiciebant. Unde & Juvenalis false illos ridet, lib: 5. Satyr.

- - Quis nescit, inquit, qualia demens
 Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
 Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibin.
 Effigies sacri nitet aurea Cercopithei.
 Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam,
 Porrum & coepe nefas violare ac frangere morsu.
 O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
 Numina!

Et Platoni magiæ scientiæque symbolum,
 secundo de Republica dialogo, cum notis
 amicus sit canis, ignotos verò morsu pro-
 sequatur. Hæc fanè res causa fuit, cur
 Cyrus, Regum maximus prudentissimus-
 que, apud Historicos canino lacte educa-
 tus legatur. Ab hac, circa Mandragoram
 colligendam, superstitione nec planè im-
 munitis esse videtur Plinius Theophrastum
 secutus, dum ait: *Cavent effessuri contra-*
rium ventum, & tribus circulis ante gla-
dio circumscribunt: postea fodiunt ad oc-
casum spectantes. Huc etiam referimus
 illud Theophrasti adserere haud verentis,
 Centauridem a Triorche, accipitris gene-
 re, contra vellicantes defendi, & nomen
 inde Triorchis sortitam esse. Addit Plinius
 hanc secatum euntes rarò sine vulnere
 redire. Item de Senecione quoque mira
 narrat idem Plinius, lib. 25. cap: ult. Hujus-
 modi

modi ineptiæ, nugæ & ludibria passim occurrunt apud herbarum scriptores plurima, quæ recensere nec vacat, nec opus est: cum nihil nisi merum redoleant mendacium, & lucrum nugivendulis. Nam circumforanei, & alii ejus farinae homines, videntur verba Josephi de Baara, Æliani de Cynospasto, & Valerii Flacci de Prometheus gemituque Caucasii montis, in suos vertisse usus, ut tanto facilius fallant dicescantque. Quosdam tamen hinc excipiamus colligendi modos, utpote ratione & experientiâ suffultos; quo spectat solers circa famosum illud Fuphorbium hauriendum cura, quod longissimis peti hastis dicitur, & naribus obvelatis præparatur.

Thes. XVII.


De modo, quo vim suam in corpore humano exercent narcotica, variæ sunt variorum opiniones, quas quidem omnes enumeraremus, nisi vetaret proposita brevitas, & nobis sufficere videretur nostram hîc qualemcunque explicuisse mentem; ubi præ ceteris se considerandam sistit virtus anodyna, non vulgaris illa, & medicis notior; quæ, vel particulas secantes pungentesque involvendo, vel fibras re-


mittendo


mittendo, in inflammationibus adeo interdum tensas, ut anceps ruptionis periculum sustineant, certum promittit solatium; sed quæ narcoticis & venenis sæpè juncta dolores in corpore furentes itidem sedat; quod in biliosis & salinæ temperiei hominibus maximè deprehendere licet, quibus narcotica & venena accommodata non solum non nocent, sed etiam opem ferunt, frangendo salia bilis beneficio fermenti subtilissimi, quod in hac cum salibus lucta etiam suas haud parum atterit vires, & propterea tantum in nervos fibrasque impetum non facit. Cujus rei exemplum dabit puer, qui atrocissima ventris tormina, quibus sæpè vexabatur, araneos sectando vorandoque compescuit. Idem quoque de nobilissima quadam femina nuper relatum accepimus. Hic, sine dubio, gemini hostes in mutuo conflictu mucrones suos hebetasse videntur, qui soli relictæ ægrum valde afflixissent. Vel denique sensum obtundendo, quod fit dum nimis relaxantur fibræ, adeo ut tremor, qui alioquin ab objectis incuteretur nervoso contextui, impediatur, quo minus cum cerebro communicetur, & doloris


ris sic sentum animo sistat. Relaxantur autem fibrillæ propter jacturam & segnitiem spirituum à sanguine condensato, & nervis obstructis factam; nam qualis chylus, talis sanguis, qualis sanguis, talis spiritus. Quod autem acidæ constitutionis homines non item ferant largiorem narcoticorum usum, non aliunde provenire arbitramur, quam ex convenientia acidæ in corpore dominantis, cum fermento illo nimis volatili, quod propterea totum in sui naturam immutare valet, & triste interdum inter animam & corpus divortium facere. At de viribus Mandragoræ ut aliquanto certiores redderemur, succum ejus igni coquendum commisimus, sed præter odorem valde gravem, qui nares infestabat, nihil animadvertere licuit. Unde tamen haud immerito suspicamur, hanc herbam non solum condensandi, uti communior est sententia, sed etiam resolvendi virtute gaudere, quod vel solus foliorum ejus, in strumis & scrofulis discutiendis, usus confirmatum sit. Nec aliud vis ejus aphrodisiaca innuere videtur, more opii & cantharidum; de quibus lepidas lege historias apud Tavernier, & J. Fabrum. Sed de his satis, ne, dum de obtupescientibus nimis disserimus, ingenium quoque nostrum stupidum prodamus.





























1 Phil 4. 7. Pray. has a harmony on this text

Handwritten text in the top left margin, possibly a date or page number.

Handwritten text in the middle left margin.

Handwritten text in the lower middle left margin.

Handwritten text in the lower middle left margin.

Handwritten text in the lower middle left margin.

Handwritten text in the lower middle left margin.

Handwritten text in the lower middle left margin.

Handwritten text in the lower middle left margin.

Handwritten text in the lower middle left margin.

Handwritten text in the lower middle left margin.

